

ue appellamus, ut mentibus  
e Catholicae, et per Eccle-  
ianani generis Redemptori  
que ita quibus verbis Pau-  
m Nos alloqui omnes veris-  
Nunc autem in Christo Iesu  
o eratis longe, facti estis  
Christi. Ipse enim est pax  
utraque unum, et medium  
solvens,... interficiens ini-  
ipso. Et veniens evangeli-  
, qui longe fuistis et pacem  
lec minus apte cadunt quae  
bet ad Colossenses: « Nolite  
poliantes vos veterem homi-  
suis, et induentes novum,  
r in agnitionem, secundum  
ui creavit illum: ubi non  
laeus, circumcisio et prae-  
et Scytha, servus et liber:  
omnibus Christus ».<sup>2</sup>

in Sanctum Paraclitum, —  
Mariae Virginis Immacula-  
e pacis titulo ab omnibus  
ssimus, itemque trium bea-  
quibus sanctorum honores  
us— humilibus precibus exo-  
siae sua unitatis et pacis  
concedat »,<sup>3</sup> et faciem orbis  
ae caritatis effusione reno-  
n salutem.


n divini muneric benevolen-  
estem, apostolicam benedi-  
enerabiles Fratres, et Clero  
amantissime impertimus.  
e apud S. Petrum, die  
o Pentecostes, MCMXX, Pon-  
nno sexto.

DICTUS PP. XV

1.  
mitate Corporis Christi.IUS FORNARI, Sponsor.  
IS POLYGLOTTIS. VATICANIS

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

**Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus**  
*Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)*

**Sedes aliae:**

**In Italia:** Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Cagliari - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Castellamonte - Castelnuovo di Carfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Figline Val d'Arno - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Gailicano - Gallipoli - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lecce - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietranello - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Palermo - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Roma - Salerno - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

**Apud Italicas colonias:** Bengasi - Tripoli.

**Apud exteras gentes:** Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch in Hispania, Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Souef, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Chelkh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

**Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.**

## Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur  
 pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 1,25; ambae lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. - Singulae lib. 1,25; omnes lib. 3.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1.

Premium annuae  
 doll. 2,40;  
 rem, Roma.

De chri-  
 inter

Quam ver-  
 mus Christi  
 consequi pro-  
 guli in suis  
 sibi statum  
 testinis etiam  
 gatis, ea tran-  
 quae in uni-  
 misque infi-  
 quoque regi-  
 nunc alienae  
 partium stu-  
 tum denique  
 deceptum, q-  
 specie menda-  
 ad evertend-  
 tetur, nemo  
 Opportun-  
 opere perse-  
 versus huius  
 admonitricem  
 diebus extu-  
 netiarum Ep-  
 regiones a  
 batae nuper  
 quae ad orb-  
 datum certo

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (fr. 12; doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.



## De christiana reconciliatione inter homines procuranda

Quam veram et genuinam pacem Summus Christi Vicarius recens edixit, populi consequi profecto non poterunt, nisi singuli in suis nationibus et civitatibus eum sibi statum comparaverint, per quem, intestinis etiam simultatibus odiisque abrogatis, ea tranquillitas ordinis instauretur, quae in universorum bonum radiet animisque infigatur. Atqui quantum in civili quoque regimine mentes ab hisce legibus nunc alienae sint; quantum adversarum partium studium dissidia provocet; quantum denique vulgus, a perfidis suasoribus deceptum, qui sub iurum libertatisque specie mendaciis et dolis nebulas offundunt, ad evertenda omnia atque ruinam exigitetur, nemo est qui non videat.

Opportune igitur in christiana pacis opere perseverans, Benedictus XV et adversus huiusmodi mala firmam sancteque admonitricem vocem suam iterum his diebus extulit, per litteras quae, si Venetiarum Episcopis inscribuntur, quorum regiones a popularibus motibus conturbatae nuper fuere, ea praecepta continent, quae ad orbem universum male pessimum certo certius referenda sunt. Nonne

enim iam nunc ad christianam reconciliationem animi ubique sunt revocandi? Nonne sempiternae filiorum omnium saluti Patris amor prospicere debet?

\*\*

Constat inter omnes operarios hodie in societas late colligi, quas laboris officia seu domus nuncupant. Ab his exordium dicit sermo Pontificis, concedens quidem eas magno usui esse posse, dummodo tamen et catholicis principiis nitantur, et in iis quae ad religionem, mores et doctrinam pertinent, potestati Ecclesiae obedienter subsint. Namque - opportune instat aeternae veritatis Magister - ad salvationem malorum unde nostris diebus humanum genus vexatur, Ecclesia tantum certam habet medicinae efficacitatem congruenter aeternis iustitiae legibus, quae magna voce undique efflagitari audiuntur. Atque haec sunt omnino servandae leges, intra tamen proprios ipsarum fines, ut iustae stabilesque permaneant. Quare quum locupletes in superiore epistola encyclica hortatus est Pontifex, et in hac hortatur, ut largitati studeant et aequitatem potius sequantur quam ius; tum proletarios sedulo commonet, caveant ne, si quid immoderatus expostulare contendant, sua ipsorum Fides periclitetur. Haec

enim insidiosa est adversariorum ratio, ut etiam ab Ecclesia immodica exigere suadeant; quae ubi multitudine non adeptasit, ipsam ad defectionem concident. Itaque ab omni agendi intemperantia abstinentium est; quae quidem semper adest, quem vel vis adhibetur atque odia inter civium ordines loventur, vel quae sunt in ipsa hominum fraternitate et aequalitate plurimae naturae dissimilitudines negliguntur, vel denique in hac fluxarum rerum adēptione omnis humanae vitae finis collocatur. Quod si Pater pientissimus filios pauperes et egentes peculiari studio prosequitur, utpote similitudini Iesu Domini propiores, veretur tamen ne aliquando, dum petunt quod sibi debetur, usque eo perveniant ut, officiis posthabitatis, invadant in aliena iura, quae sancta, non aliter ac sua propria, prorsus habenda esse Religio iubet. Sint igitur dicto Ecclesiae audientes proletarii, quamvis minus ea dare quam adversarii videatur; non enim immodica et fallacia, sed quae iusta sunt ac diuturna promittit: ac meminerint eam, omnium matrem, si quando divites defendat, non quia divites, sed quia iniuste vexatos defendere. Item locupletes Ecclesiae obsequi debent, materno ipsis amore et aequabilitate confisi.

Omnium itaque, et in primis animarum Pastorum, est officium, ut pacifice populus suum assequi contendat; quumque in hanc rem catholicae praesertim consociationes conducant, curandum est modis omnibus quo ipsae cotidie magis ubique vigeant ac florent. In his lecti de populo homines praecipue adlaborent; iuniores actuosam virtutem afferendo, seniores prudentiam, consilium usumque rerum praestando. Has itaque consociationes cum operariorū tum minorum benevolentiae commendans, Pontifex fore demum confidit ut plurimum ipsae ad commune bonum conferant, maxime si nunquam ab Ecclesiasticae Auctoritatis obsequio discedant, nec a lege christiana caritatis.

\*\*

Haec novissimi Pontificiae sollicitudinis documenti summa, quam ipsissimis ut licuit eius verbis deprompsimus. Iamque nihil restat quam ut fiat revera Benedictus XV pietate gravis ac meritis vir ille potens a vate celebratus, quem quum magno in populo saevit animis ignobile vulgus, iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat, si conspexere, silent arrectisque auribus adstant:

*Ille regit dictis animos et pectora mulcet*

Quod bonum fortunatumque sit!

ROMANUS.

### Quid Patres in genere senserint de locutione Christi “Filius hominis”

Patres Scriptoresque ecclesiasticos primorum saeculorum, quippe qui saepe in suis scriptis sententias evangeliorum vel simpliciter afferrent vel fusius interpretarentur, non fugit singularis hic titulus «Filius hominis», quo semetipsum Christus appellare consueverat. At, quum in textibus Sacrae Scripturae citandis liberius saepe agerent, nec verba, sed sententias potius sequerentur, nil mirum, si locutionem nostram vel in illis ipsis locis, ubi occurrit, explicandis nonnunquam silentio praetermittunt. Quod si eam aliquando considerant, tunc etsi eadem iam ex ipsa sua forma grammatical originem et indolem non graecam, sed semiticam praeseferat, eam tamen directe ex graeco textu desumunt, et secundum constructionem graecam pro fine suo dogmatico explicant. Falsum utique, imo iniuriosum esset dicere Patres illos, qui magna ex parte natione Graeci erant, imo scriptores insignes, linguam graecam optime callentes, non advertisse nostram locutionem

origine et indole sua esse non graecam, sed semiticam. Imo iam primi inter eos, ut Iustinus,<sup>1</sup> Tertullianus,<sup>2</sup> Epiphanius,<sup>3</sup> hanc locutionem ex V. T. bene cognoscunt, et speciatim ad Dan. VII, 13 saepe nos remittunt. At, linguam hebraicam generatim non callentes, formam originalem locutionis seu constructionem eius hebraicam p̄r̄ mente habere non poterant. Itaque eam vulgo, ut diximus, ad instar locutionis graecae explicant, non ut unum complexum, in quo «filius» *vīōs* latiore sensu et «hominis» *ἀνθρώποv* collective sumitur, sed ut locutionem ex duabus partibus omnino distinctis compositam, quarum unaquaeque sensum sibi proprium stricte conservat. Propterea haud raro Patres illi vocem «filius» *vīōs* nimis urgebant, utique ob scopum suum dogmaticum i. e. ad veritatem humanae naturae Christi efficacius probandam; at eo ipso difficultatem sponte oriri faciebant in explicanda altera parte locutionis i. e. «hominis» *τοῦ ἀνθρώπου*, quam pro determinato individuo humano sumebant, cuius nempe hominis sit filius Christus.

Bene etiam p̄ae oculis habendum est Patres fere omnes ethnico-christianos fuisse, in litteratura culturaque graeca versatos et educatos. Multi ergo ex iis non poterant stricte cognoscere conditiones religiosas et civiles Iudeorum, qui Christo aequales fuerant et ad quos Christus suam praedicationem direxerat. Nil mirum proinde, si locutio *ὸντος ἀνθρώπου* נָשָׁר, quae Iudeis, praesertim in S. Scriptura versatis, erat historica, totumque mundum messianicum ad mentem revocabat, multis Patribus exstiterit una ex locutionibus, quae omnino simplicem et ordinarium sensum haberent. Hoc saepe etiam de illis Patribus dicendum est, qui, ut v. g. Epি-

<sup>1</sup> *Dial. c. Tryph.*, n. 76; *P. G.*, 6, 651.

<sup>2</sup> *Adv. Marc.*, 4, 10, *P. L.*, 2, 407.

<sup>3</sup> *Adv. Haeres.*, 1, 2, c. 57, n. 8; *P. G.*, 41, 1008.

phanius,<sup>4</sup> Theodoreetus,<sup>5</sup> etc., locutionem istam in Dan. VII, 13 praenuntiatam et exinde a Christo desumptam videbant.

Praeterea, quod magis notandum est, fere omnes Patres Scriptoresque ecclesiastici primorum saeculorum, sicut etiam theologi posterioris temporis, in explicandis S. Scripturis potius sensum dogmaticum vel moralem singularum locutionum aut probationem explicitam et brevem in sententiis completis pro argumento suo dogmatico vel morali quaerebant, parum vel nihil curantes de investigationibus philologicis vel de quaestionibus apologeticis, quae longas explicationes historicas exigerent, quaeque tunc a nullo ex adversariis religionis christiana movebantur.

Tempore Patrum quaestio de conscientia messianica Christi per se non tam praecipuum momentum habebat; totaque fere disputatio eorum contra illos dirigebatur, qui vel veritatem testimonii Christi negabant vel, admittentes quidem missiōnem spiritualem Christi in mundo, in ipsam eius personam invehebantur, infiantes, vel prorsus negantes, divinam aut humanam eius originem et naturam.

Interpretatio proinde Patrum in genere non tam plenum sensum ipsius textus, quam potius clara argumenta ad illos errores impugnandos quaerit; omnia vero alia in eorum exegesi reduci possunt potius ad applicationes morales, ad vitam practicam fidelium dirigendam accommodatas. Hoc inter alia exempla sat clare apparet ex interpretatione, quam dabant multi Patres locutioni «Agnus Dei», qua Ioannes Baptista Christum designavit.<sup>6</sup>

Admittunt nunc generatim omnes interpretes fuisse «Agnus» symbolum Messiae, Iudeis communiter notum.<sup>7</sup> Ex

<sup>1</sup> Loc. cit.

<sup>2</sup> *Comm. in Dan.*, 7, 13; *P. G.*, 81, 1426.

<sup>3</sup> *IOAN.* 1, 29, 36.

<sup>4</sup> KNABENBAUER, *Comment. in Evangelium sec. Ioannem*, Parisiis, 1906, p. 110; CORLUY, *Comment.*

historia exodus ex Aegypto,<sup>1</sup> ex caeremoniis Paschae in memoriam huius exodi iuxta legem mosaicam quotannis celebrandis,<sup>2</sup> ex sacrificiis quotidianis, matutino et vespertino,<sup>3</sup> sed praesertim ex prophetia Isaiae de Servo Iahve,<sup>4</sup> species Messiae-Redemptoris, se ad instar agni offerentis in victimam pro peccatis non erat aliena a mente Iudeorum tempore Christi.

Prophetiam illam Isaiae (c. 53, 7) de Servo Iahve traditio Iudaica de Messia ipso intelligebat<sup>5</sup> et hoc sensu doctores eam populo suo explicabant. Daniel etiam, cuius liber notissimus erat inter Iudeos tempore messianico, mortem Messiae pro peccatis totius populi clarissime praeannuntiat.<sup>6</sup>

Iudei ergo facile intellegere poterant verum sensum testimonii Ioannis de Iesu Nazareno.

Ceterum ex modo loquendi Ioannis aliis sensus praeter messianicum impossibilis erat. Paulo enim antea, quam illud testimonium ederet, Baptista, sciens multos ex populo ipsum pro Christo habere, Phariseis interrogantibus, quis ipse esset expressis verbis se esse Christum negavit seque tantum praecursorem Eius professus est: «Et confessus est et non negavit et confessus est: Quia non sum ego Christus... Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis:

in *Evangelium S. Ioannis*, ed. 3<sup>a</sup>, Gandavi, 1889, p. 40; SCHANZ, *Comm. über das Evang. des heil. Johannes*, Tübingen, 1884, p. 120; BELSER, *Das Evang. des heil. Johannes*, Freiburg, 1905, p. 53 sq.; TILLMANN, *Das Johannesevangelium*, Berlin, 1914, p. 52 sq.; MUROLLO, *San Juan*, Barcellona, 1908, p. 165.

<sup>1</sup> Ex. 12, 3 sqq.

<sup>2</sup> Ex. 12, 46: NUM. 9, 12: DEUT. 17, 1 sqq. Cfr. IOAN. 19, 33, 36.

<sup>3</sup> Ex. 29, 38 sqq.: NUM. 28, 3 sqq.; cfr. I COR. 5, 7; 10, 11; I PETR. 1, 19; APOC. 5, 6, 9, 12.

<sup>4</sup> Is. 53, 7; cfr. Is. 16, 1; IER. 11, 19; ACT. 8, 32.

<sup>5</sup> Cfr. REINKE, *Exegesis Critica in Is.*, c. 5<sup>2</sup>, 13, 53, 12. Monast. Westph., 1836, p. 14; WEBER, *System der Altsynag. Palaest. Theologie*, Leipzig, 1880, p. 344.

<sup>6</sup> DAN. 9, 26.

ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est...».<sup>1</sup> Altera vero die, videns Iesum venientem ad se, quasi digito eum indicans, ait: «Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi».<sup>2</sup> Ergo Iesus, quem nunc Ioannes ut *Agnus Dei* designat, est idem, de quo antea testatus est eum esse Christum, cuius ipse praecursor tantum esset.

Certe proinde locutio «Agnus Dei» ὁ ἄρνος τοῦ Θεοῦ in ore Ioannis Baptiste habuit sensum messianicum, et hunc praecipue Ioannes exprimere voluit, indicans Iesum ut verum Messiam, Redemptorem generis humani, Agnum scilicet illum ὁ ἄρνος, in sacrificiis V. T. praefiguratum et a prophetis praedictum.

Et tamen multi Patres et interpretes antiqui, explicantes hunc locum, etsi allusionem ad prophetiam (Is. 53, 7) vel ad sacrificia Antiqui Foederis admittant, in ipsa tamen locutione non tam valorem eius messianicum, quam potius innocentiam, humilitatem et mansuetudinem Christi, victimae pro peccatis hominum, efferunt.<sup>3</sup> Sensus hic utique verus est, at neque unicus est, neque praecipue a Ioanne intentus. Neque revera interpretes illi antiqui, talem sensum ob rationes practicas efferentes, negant eo ipso sensum messianicum, quem Iudei ipsi in ista locutione videbant, et quem Ioannes praecipue exprimere intendebat, quia, ut diximus, ipsi etiam in ea allusionem ad prophetias V. T. admittebant.<sup>4</sup>

<sup>1</sup> IOAN. 1, 20, 26 sqq.

<sup>2</sup> Id. 1, 29.

<sup>3</sup> Cfr. DIONYS. CARTH., *In quattuor evangelia enarrationes*, Coloniae 1808. — In *evangelium Ioannis* c. 1, 29 p. CCLXXXIV: «Chriscus igitur dicitur agnus per proprietatem, non per naturam, sicut dicitur lapis angularis, vitis, leo etc. Dicitur autem agnus, primo propter innocentiam. Secundo propter mansuetudinem. Tertio propter utilitatem, quia spiritualiter vestit et alit nos. Quarto propter modum suae occisionis. Quoniam Esaias testante, sicut ovis ad occisionem ductus est», etc.

<sup>4</sup> Recte ergo scribit LEROY: «Je ne nie pas qu'en appelant Jésus l'Agneau de Die qui efface le péché

Non est proinde etiam nimium insistendum interpretationi communiori Patrum de vera natura humana, per locutionem «filius hominis» a Christo de seipso clare asserta, quasi nempe hic esset revera unicus et exclusivus eius sensus in ore Christi. Ad explicandam enim hanc Patrum interpretationem, quam postea fere unanimiter exegetae et scriptores ecclesiastici amplexi sunt, sufficit, ut talis sensus, scilicet veritatis humanae naturae Christi, reipsa et quidem obvie in ista locutione contineatur. Quod vero Patres illi hunc sensum praecipue in ea viderent, hoc ex rationibus, quas supra indicavimus, facile intelligitur.

Ob rationem ergo tum philologicam, tum historicam, sed praesertim ob finem dogmaticum, quem Patres ipsi in suis operibus persequerantur, locutio ὁ νιὸς τοῦ ἀνθρώπου pro multis ex iis nihil aliud significabat, quam filium, proprie dictum, qui veram humanam naturam, per generationem ab alio homine acceptam, habet.

Ex hoc autem iam facile praevideri potest, utrum et quando Patres de Christo loquentes, hanc locutionem adhibituri essent, nempe in quantum hoc aptum erat fini, quem sibi in suis scriptis proponebant.

Illi ergo, qui ut finem principalem habent probare divinitatem Christi, praesertim contra Gentiles, hunc titulum silentio praetermittunt vel, si eius mentionem faciunt, ei statim opponunt vel cum eo simul iungunt aliud titulum «Filius Dei», ut ita indicent Christum non merum hominem, sed etiam verum Deum esse.

FRANCISCUS ROSLANIEC.<sup>1</sup>

du monde, Jean-Baptiste n'aït entendu, comme l'interprète les anciens commentateurs, faire allusion à sa douceur, à sa modestie, à sa pureté, à sa parience, mais je dis que ce n'est pas là dans l'esprit du Précurseur, que des pensées très accessoires» (cfr. *Jésus-Christ, sa vie, son temps* (1895), Paris, 1907, p. 389).

<sup>1</sup> Ex opere cui titulus: *Sensus genuinus et plenus locutionis «Filius hominis» a Christo Domino adhucbitae*, quod proxime prodibit.

## LATINAEPSTOLAEADAMICUM

V.

Quis conditor Academiae linguae latinae, et quando.

Disciplinae physicae studio distractus, quam plurimi facio, litteras ad te dare distuli. Doleo. Postrema verba de Academiae romanae linguae instituenda scripturus omnia tuo iudicio committo.

Quis conditor Academiae? Idem ac qui eiusdem protector natura sua, ut mihi videtur, est. Quis protector? Qui auctoritate pollet et cui maxime proderit, romanus populus. Quis autem inter romanos? Romanorum princeps. Quis denique hic princeps? Romanus Pontifex.

Is, idolorum cultu a christiana religione in Constantini imperatoris victoria devicto, pontificum veterum triumphator et Romanorum imperatorum futurus in Urbe successor, historia teste, Romanorum princeps evasit. Illi ius competit supremum in latinum sermonem, quo, tamquam ex viis, Societas christiana victrix, divinitus instituta, potita est. Cuiusnam maior inveniri potest auctoritas apud exteris gentes, cum quibus vi sui munieris, ea lingua comunicare solet, per quam ab Urbe civilem cultum omnes accepérunt et fidem?

Sed a me petis, quando opus de quo sollerter agimus, erit aggrediendum? Tibi auctor sum ut hoc amicis et sociis inchoandum proponas eo modo et quando Romanus Pontifex censebit. Is enim erit et principium et fundamentum Academiae, idemque conservationis subsidium et propagationis instrumentum, quum Praesulibus sacrī eorumque iuventutis erudiendae collegiis, institutisque non solum suadere, sed etiam praecipere possit ut apud eos vigeat, imo et floreat, linguae latinae studium et usus.

Huc addas, quod nuper romani occidentis imperii nationibus in maximo, post hominum memoriam, bello, et inaudita orbis terrarum conflagratione victoriam, concessit Deus, quod inter se coniungere Romanas nationes debet. Ad hanc vero unionem, humano proficuum generi, latini sermonis frequentior usus conferet plurimum.

Nunc autem tibi, quod iamdiu cogitare soleo, patefacio. Post immane bellum ex imperii ambitione et lucri cupiditate ortum indomita, ad Deum homines, si sapiunt, se convertant oportet. Hac solum arte malis medicinam praeparare queunt. Per Christum ad Deum patet via. Spes hominum Christus cum abnegatione quam verbo docet et exemplo. Sed dulcis adest in terris Christus, ut olim aiebat Virgo Senensis; scilicet eius Vicarius, Pontifex Romanus. Ad eum rectores populi christiani convertendi. Hoc sensu olim tibi dixi: « Spes Italiae Christus ».

— Quid hoc ad rem nostram? rogas. — Immo ad rem facit multum. Scilicet ex hac christiani spiritus renovati spe, eaque vel maxime in romano occidente, latinae linguae honor accedit, qui decursu temporis magis magisque auctus splendor vocari poterit. Tunc videre erit quomodo « honor alit artes et omnes incenduntur ad studia gloria » ut dictitare solebat Tullius.

Sed iam satis. Academiam instituendam tibi prorsus committo. Constantia et fortitudine in rebus aggrediendis et ad exitum adducendis non cares profecto.

Vale. Iterum me feriatum rura vocant. Valde me « arbusta iuvant humilesque myricae ».

Id. Iunii MCMXX. — Romae.

P. SPINA.

*Usus facit virtutes, non natura: tuum est auctem abutendo facere vicia, aut utendo virtutes.*

Ovid., Pont. IV, 10.

### Quem ad finem poëtae carminibus suis inseruerint similitudines

Quae quum subtilior quaestio sit et in qua vel cautissimus facile labi possit, indulgeamus Velseno, quod in dissertatione, quam singulari industria scripsit de *comparationibus Homericis*,<sup>1</sup> haec proferat: « Sed ad illa, quae enumeravimus, accedit alia quoque res, propter quam Homerus multo crebrius, quam ceteri poëtae comparisonibus usus esse videtur. Non legabantur enim antiquissimis temporibus carmina, sed audiebantur, quapropter inhiberi nonnunquam carminis flumen necesse erat, ut, qui aderant, dum nihil fere novi comparisonibus afferebatur, iterum, quae poëta cecinerat, animis recognoscere possent. Qua de causa iis quoque, qui postea Homeri carmina canebant, non parvo fuerunt adminicula, quia spatium dabant, quo, quae sequebantur, in mentem revocare possent ». Ut omnino mittam quae ad *pa-phœdōis* pertinent, quae de ipso Homero Velsenus dixit, quantum detrahunt de eius vi poëtica! Comparisones, quas, ut flores vidi caronae, narrationi inseruit, quas omnibus artis coloribus pingere, quantae ei ipsi fuerint delectationi, facile appetit; comparisones, dico, quibus maxime elucet, quanta veritate Homerus usus sit in natura rerum describenda, eum habent finem, ut, qui carmina recitata audirent, suavissimis imaginibus neglectis, secum reputarent quae poëta antea cecinerat? Quod si revera animo proposuisset poëta, nonne putamus, futurum fuisse, ut audientes quasi fascinati imaginum pulchritudine has eius rationes penitus turbarent? In hoc igitur si lapsus est Velsenus, tamen haud negligendum est, quod primus, ni fallor, vidit, alias aliis fuisse causas, cur

1 Berol., 1848.

similitudines adhiberent. Nam ut accurate res exsequamur, duobus e fontibus, si incunabula artis poëticae spectamus, hic fluxit usus, quorum alter largissimus est et omnibus notus, poëtas imaginibus planius explicare studuisse, si quid proferrent, quod a vulgari scientia remotius esse crederent. Hoc ut perficerent, ad imagines fingendas elegerunt res, quae vulgo nota aut certe faciliores cognitu erant, quam quae comparisonibus illustrare studuerunt. Bene Passowius de hac re disserens:<sup>2</sup> « Comparationes » inquit « res praeteritas ut dilucidiores reddant, cum iis conferunt, quae etiam nunc accident » additque schol. Ven. II, 364, ὡ γὰρ Ὁμηρος ἀπὸ τῶν γυνωσκόμενων πᾶσι ποιεῖται τὰς ὄμοιώσεις.

Neque vero licuit ei aliunde, si revera id spectavit, — quod recte mihi Velsenus monstrasse videtur — « ut eadem duobus pluribusve modis declarans, tamquam vivant ac moveantur, ante oculos ponat ». Quamquam, num id spectarit, non premo: efficit certe, ut res, de quibus agit, quasi nunc gererentur sub aspectum nostrum veniant. Qua de re id tenendum est, comparisonem modo « quasi » pro descriptiōnibus adhiberi, nam descriptionis vicem explore utique non potest.

\*\*

Verum, ut pergamus, alterum fontem, quem viri docti adhuc non curavere, quamquam si veram rei rationem exigis, longe gravior habendus est, in eo inveni, quod

<sup>1</sup> De compar. homer. — Berol. 1848.

<sup>2</sup> Quare est aliquid, quod apud Friedländerum inveni: (*Beiträge zur Kennt. d. homer. Gleichnisse*, Berlin, 1870). *Indem die Gleichnisse den Verlauf der Darstellung an solchen Puncten unterbrechen, wo sie zwar nicht unabweisbar gefordert werden, aber wo das Bedürfnis des Hörers auf ein Verteilen und Veranschaulichen der übermäßig zudringenden Eindrücke des Stoffes hinweist, geben sie auf einem Umwege gleichsam einen Ersatz für die dem Epos versagte Funktion der direkten Beschreibung.*

homines, quorum animi nondum arte logica formati et ita instituti erant, ut nihil praeter propositum spectarent, quod eiusmodi homines, si — dum de una re agunt — simile quid iis in mentem veniebat, orationi suae illud insererent.

Sed fortasse quispiam dixerit, etiam veterum Germanorum vitam rudem fuisse et sine philosophiae doctrina, quos in comparisonibus adhibendis castissimos fuisse constaret. Quatuordecim modo comparisones habes in *Nibelungis*, viginti in *Grundrūna*, sed ea est indeoles animorum plebis germanicae, ut non in Graecorum modum accessionibus narrationis delectetur, sed fabellis circumcisus et sine ambagibus ad finem perductis. At si lyricalia quoque carmina in censem veniunt, quanta in iis imaginum copia redundet, vix dici potest. Neque probare possum, quae de Graecorum carminibus lyricis protulit Passowius, « longe secus habere comparationes poëtarum lyricorum, qui, cum rei gravitas ipsum poëtae animum implere soleret, locum iis concederent multo inferiorem ». Pindarus, ni fallor, et ipse poëta fuit lyricus, cuius in carminibus quam multae inventantur comparisones imaginesque, virum doctum fugere non debuit. De ceterorum vero poëtarum lyricorum dilaceratis fragmentis certum iudicium in tam subtili quaestione proferri non potest, quamquam vel in his naufragiis numerus exstat similitudinum haud contemnendus.

\*\*

Sed iam ad instituta veniamus. Postea igitur, quum in dies diligentius ars poëtica excoleretur, neque, ut antea, quae iis in mentem venirent, poëtae proferrent, sed de arte dicendi solerent meditari, ista, quam antea gravissimam fuisse dixi causam, nihil iam valebat. Sed successit alia, neque ea parvi aestimanda.

Viderunt enim poëtae, iucundum esse hominum animis, si non modo in una re

spectanda tenerentur, sed imagines contemplando, quasi devertentes relaxarentur, quum media in fabula alias audirent res neque tamen alienas a carminis materia ob ipsam, quae inter imaginem et rem quantulacumque intercederet similitudinem. Et ita mihi quidem - licet aliter iudicarint poëtae *romantici* qui vocantur - melius et aptius rem instituisse videntur atque medii aevi poëtae dramatici, ipseque Shakespearius, qui eamdem ob causam comoediae personas induxerunt in tragoeidas et duo diversissima artis poëticæ genera contaminare studuerunt, negligentes Theognidis illud: Οὐπολ' ὕδωρ καὶ πῦρ συμμίχεται, quum veteres poëtae digressionibus materiae suaे consentientibus ita carmina exornarent, ut ratione sagaci et eleganti iudicio omnibus posterioribus sint auctores. Quod autem hi ratione fecerunt, quo magis ars poëtica depravata est, eo insulsi imitati sunt posteriores, qui similitudinibus nullam aliam ob causam utuntur, quam quod carmina mirifice ornare cupiunt et delectantur verborum strepitū orationisque tumore. Quae culpa facile est in scriptis D'Annuntianis deprehendere, abundantius quam quod utile atque decorum, similitudinibus scatentibus.

Imperiti vero dummodo inveniant, quem ineptiis suis «adsuant, purpureum, late qui splendat, pannum», num ad rem apta sit imago, non requirunt. Praeterea foedissimum in modum comparationes cumulant, quod iure castigat I. C. Ernestius.<sup>1</sup>

Ovidio posteriores poëtae non solum sine ratione cumulaverunt imagines, sed etiam falsa adhibuerunt, et in hac ipsa re adeo inferiores se praebuerunt melioris aevi poëtis, ut una cum iis omnino tractari non possint.

Licet enim, omnia quae sunt in mundo, a poëtis in imagines verti possint, tamen

facile intelligitur, non ita bene omnia ad quasvis res illustrandas adhiberi, sed alteri consentanea esse, respuere alteram. Quod epigoni penitus neglexerunt. Quantum his praestat Vergilii ars, qui in imaginibus eligendis tanta erat diligentia, ut non solum singulas aptas poneret, sed etiam pro genere poëtico simplices usurparet in *Eclogis* nec non in *Georgicis*, grandes autem in *Aeneide!*

ALEXANDER AURELI.

### Mons Episcopalis<sup>1</sup>

*Te cantare libet, dulce Sacrarium,  
montani Vosagi limen amabile,  
quem gens Alsata Montem  
appellavit Episcopi.<sup>2</sup>*

*Arrident apici rura feracia,  
pagi multiplices, oppida florida  
et quae Turre superbit,  
Argentina, colossica.*

*Aedes prisca nitet Montis in ambitu,  
Christi Mater ubi, sub Cruce perdolens,  
sedem fixit et ampla  
gaudet fundere munera.*

*Iuges gaudet item turba colentium  
exhalare preces: nec mora, compotes  
votorum genus omne  
suspendunt anathematum.*

*Haec Christi Genitrix Tecta sacerrima  
Alfonsi voluit tradita filiis;  
res haec accipe, lector,  
quo successerit ordine.*

*Clemens<sup>3</sup>, quem dederat Roma Ligorio,  
transalpina suis regna Sodalibus*

*inter mille studebat  
fata adversa recludere.  
Heu! nusquam statio tuta fit obvia,  
quin et coenobium, Vistula floridum  
quod consurgere vidit,  
ictum fulmine corruit.<sup>1</sup>*

*Tum sortem miserans Diva vagantium,  
defessis placidum iussit Episcopi  
innotescere Collem  
ac sedem dare providam.*

*« I, Iosephe,<sup>2</sup> — Ducem sic monet exsulum —  
« i, quo tecta meis sacra Doloribus  
« surgunt, Othiliano  
« celso proxima Vertici ».*

*Fauste cessi iter, moxque Sacrario  
rector praeficitur; vidimus auream,  
ex hoc tempore, messem  
maturescere centies.*

*Salve, cara Domus, cui soror altera,  
trans Alpes, senior nulla superstitat;  
proles unde Ligori,  
tamquam lata per ostia,  
se per reliquos undique Galliae  
dilatavit agros, pluraque condidit,  
terras et peregrinas  
exornantia, limina.*

*Natos perge pios gignere, gloria  
quos invicta Dei, quos amor urgeat  
divae Matris, et urat  
Pauli fervor apostoli.*

*Longinquis etiam da regionibus  
mystas, qui Fidei semina disserant.  
Te vero, Domus alma,  
cunctis servet ab hostibus  
tutam diva Parens, Mons ut Episcopi,  
vastis imperiis firmior, erigit  
frontem semper edacis  
nunquam victimā temporis.*

FRANC. X. REUSS.

<sup>1</sup> Scrispi ob evolutum annum centesimum ex quo Collegium inibi erectum a sodalibus Alfonsianis occupatur (II Aug. MDCCXXX-MCMXX).

<sup>2</sup> i. e. Bischofshausen prope pagum Bischofsheim, haud longe ab urbe Argentina (Strasburgo).

<sup>3</sup> S. Clemens M. Hofbauer. Romae in Congr. SS. Redemptoris susceptus est, vivo adhuc S. Alfonso.

### EX ITALIS URBIBUS

**Mater Augusta, quae maxima religione colitur apud Oropam in Subalpinis quartum solemniter aurea corona redimitur.**

Est, in agro Vercellensi, Bugella, vulgo *Biella*, parva sed in primis operaria civitas, quae, nostris potissimum temporibus, industria incolarum atque studio, mirum in modum divitiis callet et artibus; atque adeo, honoris ergo, haud immerito, passim *italica Manchester*, vocatur.

Haec olim ab Episcopis Vercellensium regebatur, nunc suos obtinet iamdiu Episcopos. Inter praestantissimos eius Antistites adnumeratur sanctus Eusebius. Qui, constanti atque invicta animi fortitudine, rei christiana laboranti volens propitius adfuit, atque ab iniustis haereticorum incriminationibus solemniter vindicavit. At, dum rerum novarum cupidis patriae religionis perniciem molientibus audacter obsistit, impotenti improborum factione e sede exactus, extorris mittitur. Nactus hanc occasionem fortissimus vir, Hierusalem peragravit, atque tres Augustae Matris statuas divinitus inventas, quas traditio a sancto Luca confectas adfirmat, secum in Occidentem contulit. Unam patriae Sardiniae donavit, alteram apud Montemferratum collocavit, tertiam vero secum retinuit; et quum Vercellis in magnis rerum asperitatibus versaretur, inter montes qui ad septemtrionalem partem adsurgunt, permanenter abdidit. Illuc identidem se devote conferebat, et magnam Dei parentem colebat, et apud torrentem Oropam, qui mox omni regioni nomen dedit, posuit, tempus, eadem auspice expectans, quo animi omnium in Matris obsequium coalescerent.

Illic, primum in abditissimis locis, sub lapidibus, singulari consilio quasi futura

<sup>1</sup> *Commentationes de elocutionis poëtarum latinarum veterum luxurie acta. Sem. reg. Lips. II.*

prospiciens, ancipitem potentiorum fidem praecavit, civibusque plaudentibus, effigiem Augustae Matris, nigro colore fulgentem, posuit, et se ei fortunasque suas devovit. Mirum, quam brevi, labentibus annis, parvulum sacellum in immensum crevit. Ilic antiquitus montes deserti erant, ubi pastores passim et caprae,

*pascuntur ... silvas et summa Lycaeum  
Horrentesque rubos et amantes ardua dumos.*

Et christiani tamdiu fuerunt propositi tenaces, quoad christiano nomini vultu sereno riserit fortuna.

Omnium late incolarum collatitia stipe novam aedem a solo excitarunt, hospitium in peregrinorum solatium amplissimum extulerunt. Mox scalis marmoreis et conclavi maximo aedificatis, diaetasque aptiorum in ordinem dispositis, cultu splendi- diore omnia renovarunt, addita hortorum amoenitate. Universum opus a maioribus inchoatum et singulis temporibus exor- natum, a recentioribus profligatum, anno denique labente perficiendum curarunt.

Illuc saepe principes Augustae domus sese conferebant, et impraesentiarum, adveniente aestate, singulis diebus festis, omnium circa pagorum incolae, eos innu- mera devotorum prosequente multitudine, peregrinantes devotissime procedunt.

Hoc vero anno, additis cunctis labentis aetatis inventis, ex dissitis subalpinae re- gionis partibus acciti, maxima religione ad sanctuarium invehunt, et fidem libero ore profitentur, in qua spes omnium sita est.

Ad haec, solemnis quarta centenaria sanctae imagini coronae impositio, veluti cumulus accedit. Per idem tempus, uni- versa gestiente civitate, pugmata sub no- ctem ex more incenduntur, viae et domus urbis facibus cereisque collucescunt.

Sic virtute Virginis confisi, triumphum christiani nomini exspectamus.

SUBALPINUS.

## COMMUNIA VITAE

### Nomina virorum atque mulierum propria.<sup>1</sup>

- Gerontes (Geruntius) - Graec. - Senex.  
Gertrudes (Gertruda) - Teut. - Dilectissima.  
Gervasius - Teut. - Copiarum dux.  
Gesualdus - Teut. - Fortunatus servator.  
Getulius (Gaetulius) - Lat. - Ex Getulia.  
Gilbertus (Guibertus, Guilbertus, Gui- dobertus, Vibertus) - Teut. - Miles celeberrimus.  
Gilda - Teut. - Puella.  
Georgius - Graec. - Agricola.  
Gisfredus (Gisalfridus) - Teut. - Amicus certus.  
Gislenus - Teut. - Amicus.  
Glaphyra - Graec. - Elegans.  
Glaucus - Graec. - Caeruleus.  
Glycerius - Graec. - Ex dulci amore.  
Gorgia (Gorgon, Gorgonius) - Graec. - Terribilis.  
Gothardus - Teut. - Valde bonus.  
Godefridus (Cotefridus, et vulgo Goffredus) - Teut. - Miles patronus.  
Grimoaldus (Grimaldus) - Teut. - Dives.  
Gualbertus (Valbertus) - Teut. - Praefectus illustris.  
Gualdradus - Teut. - Potens suasor.  
Gualfridus (Gualfredus, Gaufredus, itemque Valfridus, Valfredus) - Teut. - Peregrinorum defensor.  
Gualterius (Valterius, et vulgo Lottie- rius, Tierius) - Teut. - Administrator.  
Guarinus (Guarnerius, Guerinus, Va- rinus) - Teut. - Bellator.  
Gudelia - Teut. - Bona.  
Guido, ōnis (et vulgo Guittonus, Guidic-

<sup>1</sup> Cf. num. sup.

- cinus, Guidolinus, Guinicellus, Guidottus, Dottus) - Teut. - Bellicosus.  
Guimarus - Teut. - Celeberrimus.  
Guimundus (Guitmundus) - Teut. - Ma- gnus defensor.  
Guinaldus - Teut. - Miles fortunatus.  
Guiscardus - Teut. - Robustissimus.  
Gulielmus (Guilelmus, et vulgo Nel- mus, Memmus, Minus) - Teut. - Tranquilitatis protector.  
Gummarus (Gundemarus) - Teut. - Celeber in bello.  
Gundibaldus (Gundobaldus) - Teut. - Ferox in bello.  
Gundebertus (Gundevertus, Gudbertus) - Teut. - Illustris in bello.  
Gundemundus (Cunimundus) - Teut. - Bellator.  
Gundericus - Teut. - Potens in bello.  
Guntrudes (Cuntruda) - Teut. - Fidelis.  
Gyges - Graec. - Tenebrosus.  
Hedwiges - Teut. - Felicitatis propa- gatrix.  
Hegesippus - Graec. - Equorum rector.  
Helena (Heleonora, et vulgo Nora, No- rina) - Graec. - Rapta.  
Helfridus - Teut. - Salutis defensor.  
Heliodorus - Graec. - Solis donum.  
Heliogabalus - Graec. - Solis sacerdos.  
Helmichis - Teut. - Patronus fortis.  
Helmunda (Heilmunda) - Teut. - Os salutare.  
Hemigdius - Graec. - Semideus.  
Hengistus - Teut. - Ex potenti genere.  
Henricus (Arrigus, et vulgo Arrighetus, Ghettus, Riguuccius, Guccius, Gutius) - Teut. - Iuvenis potens, atque etiam Excel- lens virtute.  
Heraclius - Graec. - Ex Hercule oriundus.  
Hercules (Heracles) - Graec. - Iunonis gloria.  
Heribertus (Aribertus, Herbertus, He- rembertus) - Teut. - Miles illustris.  
Hermagoras - Graec. - Ex Herma, idest Mercurio.

- Hermannus (Armandus, Arminius, Her- minius, Herminus) - Teut. - Vir bellicosus.  
Hermengaudius - Teut. - Vir fortis et bonus.  
Hermenegildus - Teut. - Miles iuvenis.  
Hermentrudes - Teut. - Bellatrix ama- bilis.  
Hermocrates - Graec. - Mercurii vis.  
Hermogenes - Graec. - Mercurii pro- genies.  
Hermolaus - Graec. - Ex Mercurii gente.  
Heva - Hebr. - Serpens; iuxta alios Viva, Vivens.  
Hieronymus - Graec. - Sacrum nomen.  
Hilarius (Hilarion) - Lat. - Laetus.  
Hildebalodus - Teut. - Pugnator stre- nuus.  
Hildebertus (Childebertus) - Teut. - Pugnator gloriosus.  
Hildebrandus (Hidelbrandus, Hildepran- dus) - Teut. - Pugnator (sive Puer) illu- stris.  
Hildefonsus (Hidelfonsus, Hildephun- sus) - Teut. - Pugnator (sive Puer) can- didus.  
Hildegardes - Teut. - Pugnantium (sive Puerorum) nutrix.  
Hion, ōnis - Graec. - Quae vadit.  
Hippolytus - Graec. - Ab equis discer- ptus.  
Hyacinthus - Graec. - Flos huius no- minis, aut lapis pretiosus.  
Iacobus (Iacob, et vulgo Goppus, Ciac- cus, Ciapus, Iacus, Lapus, Iacopinus, Pinus, Binus, Perinus, Cominus, Iacopuccius, Puc- cius, Buccius, Minuccius, Iacomozzus, Mozzus, Nozzus, Paccius, Baccius) - Hebr. - Supplantator, et etiam Vestigium.  
Ida (Idida) - Hebr. - Amabilis.  
Iedda (Ieddoa, Ieddua). - Hebr. - Co- gnita.  
Ieremia (Ieremias) - Hebr. - Domini sublimitas.

Imelda - Teut. - Puella honesta.  
 Ioachim - Hebr. - Praeparatio Domini.  
 Ioannes - Hebr. - Donum Dei.  
 Ioseph (Iosephus) - Hebr. - Augmen-tum Domini.  
 Iosue - Hebr. - Servator a Domino datus.  
 Iphigenia - Graec. - Natu fortis.  
 Irene (Irenaeus) - Graec. - Pacifica, Pacificus.  
 Isaias - Hebr. - Salus Domini.  
 Isidorus - Graec. - Isidis donum.  
 Isocrates - Graec. - Vi par.  
 Judith - Hebr. - Laudans seu Testifi-cans.  
 Julius - Graec. - Puber.

Ladislaus - Graec. - Popularis vestis (?).  
 Lambertus (Lampertus, itemque Bel-trandus, Bertrandus) - Teut. - Popularis illustris.  
 Landericus - Teut. - Popularis potens.  
 Landulfus - Teut. - Populi adiutor.  
 Landfrancus - Teut. - Popularis liber.  
 Landfridus - Teut. - Patriae defensor.  
 Laudomia (Loodamia) - Graec. - Populi domitrix.  
 Laurentius (et vulgo Enzus, Nenzus, Nencius, Renzus, Laurus, Laurettus, Oret-tus) - Lat. - Ex lauro.

Lazarus - Hebr. - Dei auxilium.  
 Leander (Leandrus) - Graec. - Mollis.  
 Leonhardus - Teut. - Fortis ut leo.  
 Leonidas - Graec. - Facies leonis.  
 Leonilda - Teut. - Puella fortis.  
 Leopoldus - Teut. - Intrepidus ut leo.  
 Leucadia - Graec. - Dea candida.  
 Leucius - Graec. - Candidus.  
 Leutfridus - Teut. - Patronus celeber.  
 Lia - Hebr. - Industria.  
 Linus - Graec. - Rete.  
 Lisander - Graec. - Vir liber.  
 Lucas - Hebr. - Sui resurrectio.  
 Lucia (Lucina) - Lat. - Clarescens.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Est etiam (ex Hebr.) idem ac *Lia*.

Lucianus - Lat. - Ad lucem spectans.  
 Lucius - Lat. - Exoriante luce natus.  
 Ludovicus (idem ac Clodovaeus, Alo-i-sius, et vulgo Vicus, Lisus, Ginus, Giottus) - Teut. - Miles celeber.  
 Lutprandus (Luitprandus, Liutprandus) - Teut. - Miles illustris.  
 Lutgarda - Teut. - Ex celebri stirpe.  
*(Ad proximum numerum).*

I. F.

## PRO IUNIORIBUS

### Tophanus.<sup>1</sup>

Quidam opibus florens olim Aretii fuit nomine Tophanus. Hic egregia forma mulierem duxit uxorem, Margaritam nomine, cui brevi molestus esse coepit, quod domo omnem interdiceret egressum, cumque alienis colloquium. Aegre id tulit mulier, utque hoc effugeret incommodum, sagacissime hoc init consilium. Quum inter viri mores hunc pravum animadvertisset, vini eum esse benignum, non solum id ei coepit commendare, sed callide eum maioribus invitare poculis; atque adeo ista invaluit consuetudo, ut, quum libuisset, hominem ineibriaret; quum vero ebrium cerneret, in cubili ad quietem collocaret, ipsaque amicarum conventum adiret. Tantumque eius ebrietati confidit, ut magnam saepe noctis partem in geniali coetu consumaret, qui non longe aberat.

Tractu vero temporis factum est, ut infelix vir animadverterit, invitari se quidem ab ea, ipsam vero nunquam bibere; unde suspicatus est, ne aliter res se haberet, videlicet se ab uxore fingi, ut genio postmodum illa posset indulgere, quum ipse in utramque aurem dormiret. Quum rem tentare vellet, an ita esset, quadam

<sup>1</sup> Ex commenticia fabula IOANNIS BOCCACCI (*De cam. vii*, 4).

nocte, quin tota die vinum delibasset, voce, gestu, motuque se temulentum simulat; quod coniux credens, nec sibi amplius opus esse arbitrata, ad quietem illico eum composit. Quibus expeditis, coetum adivit, ibique fuit ad noctem usque intempestam. Tophanus, ut coniugem excessisse sen-sit, fores intus occlusit, atque ad fenestras stetit, ut redeuntem cerneret mulierem, eique ostenderet, se rem detexisse; et tamdiu ibi evigilavit, dum reversa uxor est. Quae rediens et se exclusam videns, vehementer doluit, et conata est an fores superare posset.

Quod postquam paullulum pertulit, Tophanus inquit:

— Mulier, frustra laboras, nunquam enim ingredieris; abi, illuc redito, ubi adhuc fuisti, atque hoc tene, te non prius hic ingressuram, quam coram tuis fratribus vicinisque tibi facinus exprobaverim.

Mulier per Deum immortalem obte-stari, ut sibi aperiret; se non venire nisi a vigilando cum vicinis feminis: noctes esse longiores, nec posse se eas dormire totas, nec solam domi vigilare. Nihil de-precando proficiebat mulier; bellua enim illa, quod domesticis parientibus contine-ret, lippis et tonsoribus notum fieri om-nino volebat.

Uxor frustra precata ad minas se con-vertit dicens:

— Ni mihi aperias, omnibus te coope-riam infortuniis.

Cui Tophanus:

— Quid vero facies?

Tum uxor:

— Potiusquam infamiam hanc imme-rito perferam, in proximum me puteum proiiciam: in quo quum mortua inveniar, nemo unus erit, qui non credit, me a te ebrio fuisse projectam; atque adeo aut tibi fugiendum exsulandumque erit, aut capite plecteris utpote mei interfector.

Nihil de stulta sententia decessit Tophanus. Quare uxor:

— Ecce iam dolorem ferre haud pos-sum: tibi parcant Superi; colum hunc, quem hīc relinquo, recipiendum curabis.

Hisce vero dictis, quum nox adeo esset obscura, ut qui essent in via cerni non possent, accessit ad puteum mulier imma-nemque lapidem, qui ad oram erat, sumens, exclamansque: «Domine, miserere»; demisit in puteum. Lapis in aquam inci-dens ingentem edidit strepitum: quo audito, Tophanus vere eam se dedisse praecipitem creditit, sumptaque situla cum fune, subito erupit domo, atque in eius auxilium cu-currit.

Mulier quae p̄ae foribus sese abdi-rat, ut eum vadentem ad puteum vidi, do-mum illico se recepit, postesque obice mu-niit, et ad fenestras accedens, dixit:

— Vinum diluendum est quum biberit, non vero noctu.

Tophanus haec audiens, se dolis cap-tum atque illusum sensit, revertitque ad fores; quumque ingredi non posset, impe-reare coepit ut sibi aperiretur. Illa vero non submissa, ut antea, sed elata voce ait:

— Eia, temulente importunissime, hac nocte non ingredieris: vitam hanc tuam amplius perferre non possum; ostendam oportet, quid tu hominis, quaque te hora domum nocte recipias.

Tophanus rursus excandescens, con-vicia plurima iactare Strepitum audientes vicini, viri mulieresque, surrexere omnes, atque ad fenestras accessere, suscitantes quid illud rei esset. Tum mulier flens:

— Improbus hic vir ebrius domum noctu redit aut per popinas indormit; tum vero nocte intempesta se recipit; diu mul-tumque id pertuli, quumque nihil profice-rem, domo eum exclusi tentandi causa, an ipsum ad bonam frugem possem revocare.

Tophanus, pecus, rem narrabat, eique vehementer minabatur. Uxor vero cum vicinis haec dicebat:

— Quis ille sit, videte: quid vos, si ipsa in via essem, ut ille est; ille vero domi,

ut ipsa sum? Ecquidem dubito an dictis eius fidem haberetis. Malitiam inde eius cognoscite: quod a se factum puto, id me fecisse dicit. Ille mihi metum incutere ratus est, nescio quid in puteum proiiciens; utinam vero praecepitem se reapse dedisset atque ablatus reapse esset, ad vinum, quod epotavit, bene diluendum.

Vicini omnes Tophanum reprehendere culpamque in eum conferre; et brevi ita percrebuit fama, ut ad mulieris cognatos pervenerit, qui venerunt illico ac Tophanum pessime mulcarunt. Tum domum ingressi, uxoris habuere res, eamque abduxere secum Tophano peiora minitantes.

Tophanus in tale discrimen se adductum videns, quippe qui uxorem adamat, per amicos effecit, ut uxor libens domum repetierit, cui promisit se nunquam illius fidem suspectam habiturum, adiecta facultate genio indulgendi suo. Atque ita, rusticorum more, damno accepto pactio nem fecit.

I. S. P.



## ANNALES

### A conventu altero ad alterum.

Krassini, Leninensis Russici gubernii legatum, superiore mense diximus Londini Anglici gubernii praesidem George convenisse, cum eoque colloquia plura habuisse, quae de oeconomicis tantum negotiis fuisse nunciarunt. At nunciarunt pariter Gallos inde novas diffidentiae causas sumpsisse, dubitantes ne res, in Anatolia praesertim et in Syria, ad Galliae damnum simul praeoccuparentur. Hinc alias ad Hythe oppidum conventus inter George ipsum et Millerandum, administratorum in Gallia collegio praefectum, ubi declarationes vi cissim factae atque rationes disputatae, quibus in generali proximo conventu ad Spa urbem indicto Anglis una cum Gallis coram Teutonibus agendum foret. Sed Ita-

lica atque Belgica natio vicissim protestatae sunt sese ab ulla pactione absentes esse nec posse nec velle: itaque et alius conventus, Bruxellis habendus. Sed prius quam hic congregaretur, et ad alium, Bolognae ad mare, consociatarum gentium legati coivere, ubi quaestio circa tractationes cum Russia iterum exarsit, pariterque de partitione bellici pretii a Germania solvendi: id unum, - (sed refragante Italico legato, qui rationem habendam esse Turcici imperii cupiebat circa discrimen exortum inter «nationalistas» Turcas et Arabes) - ratum est, posse nempe Graeciam contra hanc Turcarum factionem agmina mittere; quae iam ad rem paratae statim in campum descendere, victoriasque in Turcas enuntiarunt.

Quod si hisce addideris Polonus hinc cum Russis inde cum Czecho-Slovacis, regionem Texen tamquam suorum fines appetentibus, adhuc dimicare - (de hac re arbitrorum iudicium propositum est, sed incassum) - et in Asia quoque sanguinem effundi, moeste atque anxie confitendum est, ad id duorum annorum inducias totque de pace conventus reapse adduxisse, ut bella redintegrarentur!

### Civiles motus. \*\*

Praetereo civiles motus a quibus, plus minusve, populi omnes agitantur sive per operariorum a laboribus desertiones, sive per rerum inopiam exaggerataque pretia, sive etiam per seditiones ac tumultus ab anarchistarum factionibus hic illic excitata. Quorum exemplum et Itali nos passi sumus. Anarchistarum enim manus post amplificatas Albaniae vices, cuius regionis orta seditio Italos impulit ut loca procul a mare deserenter quae ad tuendam tranquillitatem tenebant, per speciem impen diendi quominus illuc novae copiae ad bellum instructae mitterentur, Anconitana in urbe et in provincia circum, milites ad defectionem et vim sollicitarunt atque ad rebellionem populum compulerunt, spe rantes fore ut late incendium proferretur. Prudens vero et firma novi gubernii

agendi ratio dolum patescere, resque ad quietem brevi reducere valuit.

Novi gubernii diximus: nuper enim Nittio est in Italia Giolittius tamquam administratorum collegii praeses suffectus. Identidem per Europam fere omnem novi sunt creati administris; quod quidem et id demonstrat, longe omnes abesse a rebus in tranquillitatem reductis.

\* \*

### Essad, Albaniae princeps, Lutetiae Parisiorum interemptus.

Essad ille «pacha», qui tantam apud Albaniae cives suos potestatem quandam habuit, quam certe sine partium studio minime excercuit, nunc autem erat civitatis suae in Gallia legatus, est Lutetiae Parisiorum a iuvene quodam, Mahumeti assecula, nefarie interemptus, qui violata suorum iura exsequi insano hoc facinore se voluisse dealaravit.

Infelices ambo!

Kal. Iuliis MCMXX.

POPULICOLA.

### VACUI TEMPORIS HORA

Quo magis in vitae itinere progredior, eo magis mihi heu! persuadeo inter celebriorum hominum archetypa minime re ferri posse; idque praesertim quod virtutibus singularibus vivendae vitae caream, quibus ii plus minusve insignes evadunt: **excentricitates** vulgo eas vocant, ex matheseos scientia voce desumpta, ea fortasse de causa, quia ipsae virtutes differen tiam reapse compleant inter alterum et alterum centrum intercedentem concentricorum circulorum duorum.

Fascino exempli gratia non credo; ex adverso Teophilus Gauthier ita eo capie batur, ut, quum tamquam fascinatorem Offembachum haberet, eiusque nomen scri bendum forte sibi esset ab aliquo alio scri pto - puta ex diario aliquo, - litteras quae nomen ipsum efformare possent absiden-

das curaret, easque chartae agglutinandas. Ita fatale verbum in Gauthieri scripto appar ebatur, sed minime per manum auctoris, qui ita fascinationem caveret.

Ego calamaria quavis theca utor, quum Paulus de Sancto Victore omnes praeter suam odio haberet, quae ex ligno nigro erat, a Friburgo allata. Quinimo affirmabat, ne cogitationem quidem unam extra fundum thecae illius sese unquam inventurum; quumque iter faceret, pretiosum illud alimentum genii sui secum portabat.

Ne dicam de Barbey de Aureilly, cui necessaria erant plurium colorum atra menta, ut scriberet.

Ego frustulo cuique notas trado meas; sed Victorianus Sardou, famosus ille dramaticae artis magister, chartae tantum expresse fabricatae, spissae, satisque rugosae opera sua mandabat; ac Mignet char tae caerulei unius coloris.

Insignis alter dramatum scriptor, Alexander Dumas senior, et ipse caeruleam chartam praeferebat, eamque magnis foliis distributam parvisque quadratis delineatam; quam in promptu semper habebat, ut scribere sibi liceret omni loco et tempore, quum dii afflatum in eius mentem impellerent.

Iacobus ille bibliophilus tanta luscione afficiebatur, ut pari nemo. Atque tamen sine ocularibus vitris scribebat, non ita vero ut naso identidem non obliteraret quae scriberet: literae autem tam minuscule erant, ut in singulis lineis vel quadraginta verba insereret.

Fortasse misellus ego - (ac typographus testis esto) - unice ad Brachet do ctorem accedo, qui chartacea fragmenta tantum ad scientiam suam tradendam adhibebat, eaque per farinaceam ceram iungebat, taenias infinitas efformans, quas deinde adnumerabat, et per classes di videbat, ac distribuebat iuxta adinventiones, quas per operis compositionem faceret. Opus absolutum typothetae tandem com mittebat, cui legere exempli causa da batur:

HOMINIS PHYSIOLOGIA. - Cap. I: Accipe segmentum sextum a linea 20 ad 85; adde

integrum fasciam quintam, redeasque ad primam, a linea 1 ad 19, deinde ab 107 ad 320, ut cedas iterum retro ab 86 ad... Et sic deinceps.

Historia non tradit quoties officinae opifices in Acheruntem auctorem demiserint.

Ne vero huiusmodi sors mihi quoque detur, hodie ex mea parte in scriptura consistam, neque minus, fateor, quod nullum praeterea argumentum, hodierna die mihi succurrat, et fessos statuere boves cogar.

At habetis simul hinc etiam testimonium, me ab illustrissimis gloriosisque illis auctoribus quam longissime distare.

\*\*

### Locosa.

Tuccius scripti periculum aggressus est eo elatiore animo, quod sensus suos erga patriam dilectissimam effundere in eo detur.

Scribit itaque: « Utinam illa essem aetate ut in hostem irrumperem possem, atque sanguinem meum omnem pro Patria effundere! O veram felicitatem mihi servatam, si inter meos reduci clamare mihi daretur: Pro civitate mea vita sum functus! ».

Sed si tam bene Tuccius munus suum in scriptis absolvit, nulli ex adverso verbalis examinis interrogationi respondit. Id pater statim a magistro est edocitus, et filio acerbe obiurgans:

— Optime quidem! — inquit — Te exanimatorum rogationibus omnino tacuisse!..

Atqui Tuccius:

— Vides igitur, o pater, officium et reverentiam magistris praestandam me iam apprime callere!

\*\*

### Aenigmata.

I.

Magnum opus aggreditur navis, quae parvula [findit

Undantes oras, textile nempe fretum,  
Et certum recipit traiectam e littore littus,  
Sic actam rapide, fulgor ut esse putes.

Tranquillum sine labe fretum, sine fluctibus  
[aequor,  
Et tamen aequoreis cymbula certat aquis;  
Curva carina suas deponere saepe tenetur  
Meres queis premitur, vel nimis ipsa  
[tumet.  
Sed terat obliquos quamvis ea cymbula calles,  
Naufragium nullum fert brevis ipsa ratis.  
Res miranda nimis; navis nam mersa videtur,  
Dum vacuas findit, stamine tecta, vias.  
Perdere quidquid habet, iacturam haud cen-  
[set in unda,  
Namque aliis impar est ratis illa brevis.  
Stamine multiplici procedit plena per aequor,  
Tangit littoreos exonerata sinus.

II.

*Pars prior* est breve pronomen, cui littera  
[duplex;  
Altera rimari bestia sueta lutum.  
Totum est urbs Asiae, quae vidit, nate Phi-  
[lippi,

Agmina Persarum robore strata tuo!

(Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1] *Rex-Sex-Xerses*;  
2] *Seges*). IOSFOR.

### MONITA

*Ut paginarum numerum exaequatur si-  
mus commentariis adhuc per annum pro-  
portionaliter impositum, fasciculos Augusti  
et Septembbris mensis in unum colligere etiam  
hoc anno cogimur, qui primis Septembbris  
mensis prodibit.*

*Quum autem plures heu! socii nondum  
pretium consociationis suae solverint, eos  
etiam atque etiam rogamus ne alterius remo-  
rentur; eoque magis quod non fugerit eos  
projecto, quantum omnium rerum pretium  
auctum sit, et in dies augeatur. Atqui uni-  
nos fortasse pro commentario nostro mer-  
cedem immutatam reliquimus! ...*

ALMAE ROMAE Administrator.

3)

### VITA RUSTICA<sup>1</sup>

Mox vici teneros mater sanctissima pupos  
Evocat, atque docet cunctos pia carmina Chri-  
[sti.  
Et quandoque rogit, respondet voce corona.  
Tractat anus lanam tenues ad luminis ignes,  
Fabellamque solet suavi garris lepore.  
Sic residens sella recreat puerilia corda,  
Donec connivent languentia lumina somno:  
Sopitos referunt natos in tecta parentes.  
Adstant at vetulæ viridi sub tegmine vitis.  
Sideribusque poli placitaque quiete fruuntur:  
Historias tum quaeque suas denarrat amicis,  
Et meminit recolens iuvenalis gaudia vitae.  
Iam cuncti properant demittere membra gra-

[batis:  
Funditur alma quies per opaca silentia pagi:  
Solus nocturnis vigilat mus rusticus horis,  
Relliquisque libens coenae fructusque re-

[quirit,  
Et rodit, gaudetque catus subrepere tecta:  
At vigiles quandoque canes baubantur ad  
auras.

Interea claro spargit pia lumine luna  
Campos, et tacite secreta cubilia lustrat,  
Et penetrat rimas et hiantes plena fenestræ.  
Tum placida retegit recubantem luce puellum,  
Atque genis teneris rutilisque dat oscula cirris.  
Sic recubant stratis, tacitisque, laboribus actis,  
In casulis capiunt omnes per membra quie-

[tem,  
Dum strepit usque cavo latitans in limine  
[gryllus.

Crevit iam pagus cultis uberrimus agris,  
Sollers succrevit populus patiensque laboris;  
Divitiae crevere simul, sed pristina mansit  
Rusticitas, cui mos est integer atque pudicus.  
Relligio patribus multos servata per annos  
Usque regit populum, rebus solatur in arctis.  
Hic facilem victimum praebet ditissima tellus;

Hortus olus, laniana suem caprumque bo-  
[vemque.

Mollior aura genas mulcet, iubet ora rubere,  
Naturale decus belle nitet usque puellis.

Hic validam gignit prolem fortissima mater,  
Quam nos lanificam frugique domique se-

Cernimus: hic Calabriae bene pollut robora  
[identem  
[pubis,

Et patriæ column gens est asperrima bello.  
Hic cives recolunt solemnia festa quotannis,

Laetitiaque fremunt colles ac villula blanda,  
Quae circum tremulis foliorum sibilat umbris.

Hic terram pingunt croceo roseoque colore  
Flores, ac tollunt umbrosa cacumina pinus;

Hic molles violae rident, amaranthus et aster:  
Fons ciet irriguus placidos lenesque susurros,

Caeruleumque lacum salientibus efficit undis.  
Inter amoena canunt acalanthis passer alauda,

Et circum volitans viridaria lustrat hirundo;  
Solaque nocte gemit philomela, poëtria dul-

[cis.

At simul aera modos suaves emittere per-

[gunt,  
Et resonant blandis tenues concentibus auræ:

Ecce simul veniunt matres teneraeque puellæ,  
Ac nitidae cultu lustrant violaria passim.

Haec formosa, foro quae vendere mala so-

[lebat,  
Exit, et incedit circumdata divite palla:

Illa quidem, teneros quae pavit montibus  
[agnos

Ornatu vario, veluti regina, superbis,  
Ac sinit in nitida colludere fronte capillos.

Interea iuvenes laeti famulantur Amori,  
Iam niveum dominae latus hic modo radit,

[et ille  
Praeteriens aliquid modo suave susurrat in

[aurem,  
Parte alia ludit puerilis turba per hortos:

Iam se dant oculis levium spectacula rerum:

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Maii MCMXX.

Undique convenient pupi, glomerantur in  
[orbem.]

Circitu stans in medio speciosa magistra  
Disponit cunctos, ac dirigit arte choreas.

« Sis modo tu Regina fori, formosa puella »,  
Exclamant omnes: « reddet tibi coetus hono-  
[res].

Haec una pueri: diversi currere gaudent,  
Et properant molli decerpere cespite flores.  
Sertaque texta rosis et caeruleis hyacinthis  
Nectunt: en referunt vario de flore corollam,  
Regalesque comas viridi diademate cingunt.  
In viridante throno iam sese commodat illa;  
Fundere caesariem zephyri dat lenibus auris.  
Iam pueri dominam circumstant agmine denso,  
Ac venerabundi calathis dant lilia plenis;  
Hic fundunt violae calices et olentis anethi;  
Ore residenti grates nutuque secundo  
Persolvit tenero Virgo speciosa popello.

Iam surgens tandem per amoena vireta trium-  
[phat,]  
Ac praetergreditur puerum comitante caterva,  
Conclamat omnes, et dulcia carmina dicunt;  
Sternunt flore vias, et lauri frondibus explent.  
Interea saliunt pupi per cuncta tenelli:  
Hinc illinc veniunt cum torquibus atque ca-  
[tellis,

Et circumvoltant equites in arundine longa.  
Tu vero comis, tu vultu blanda sereno  
Carpis iter, Virgo, dum reddit coetus hono-  
[res,]  
Dum tibi clamat « Io », puerilis turba, « triun-  
[phe!] »  
Interea sacras dicit plebecula pompas:  
Tum variae fulgent species per caerulea no-

[ctis,  
Ac longos igni videoas albescere tractus.  
Prosiliunt rutilae caelo crepitantque sagittae,  
Atque repentinus sese convolvit in arcus  
Flammeus orbiculus, stellasque resolvit in  
[aureas.]  
Emicat ecce globus vacuum per inane volutus,  
Dissilit ingenti tonitru; iam depluit imber  
Torridus, ac reboant late mugitibus antra.  
Sic celebrant laeti genialia festa coloni,  
Ac miscent varias calamo resonante choreas.

Postera lux oritur; repetunt sua praedia quis-  
[que:]

O fortunati, quos non urbana peredit  
Mollities; vestris felices vivite campis:  
At tu, Vincenti, refer usque domestica facta,  
Perge tenere viam quam te docuere parentes  
Dulces; vive diu patrio contentus agello.

FINIS.

FRANCISCUS SOFIA-ALESSIO.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

*Le Berceau de l'Islam. L'Arabie occiden-  
tale à la veille de l'Hegire. 1er Volume: Le  
Climat – Les Bédouins, par HENRI LAMMENS,  
S. I. – Romae, sumptibus Pontificii Instituti  
Biblici.*

Ex collectione, cui titulus: CORPUS SCRIP-  
PTORUM LATINORUM PARAVIANUM moderante  
CAROLO PASCAL, in aedibus I. B. Paravia et  
Sociorum:

*CORNELII TACITI. Dialogus de Oratoribus.*  
Recensuit, praefatus est, appendice critica et  
indicibus instruxit Fridericus Carolus Wick. –  
Ven. libell. 1,50.

— *De origine et situ Germanorum liber.*  
Ad fidem praecipue codicis Aesini recensuit,  
praefatus est, Caesar Annibaldi. Appendicem  
criticam in Taciti libellum « Scriptorum Ro-  
manorum de Germanis veteribus testimonia  
selecta » adiecit Carolus Pascal. – Ven. li-  
bell. 1,25.

— *Historiarum libri I. et II.* Ad fidem co-  
dicis Medicei recensuit, praefatus est, appen-  
dicem criticam addidit Maximus Lenchantin  
De Gubernatis. – Ven. lib. 4.

*PHAEDRI. Fabulae.* Ad fidem codicis Nea-  
politani denuo excussi edidit, praefatus est,  
appendice critica instruxit Dominicus Bassi.  
– Ven. lib. 5.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL VECCHIO

SINGULIS MENSIBU